

Chr. 534, 35.

B. 7

YC  
7337

OTIA IN LITTERIS BELLI SOLAMINA  
XII. PHILOSOPHIAE ET ARTIVM CANDIDATIS  
QVI MAGISTRI RENVNTIANTVR

RECTORE MAGNIFICO  
IOANNE FRIDERICO MAIO  
MOR. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD.  
COLL. MAL. PRINC. COLLEGIATO

PROCANCELLARIO  
ATQVE EODEM  
DECANO  
IOANNE AVGVSTO ERNESTIO  
S. TH. DOCT. HVIVS ET ELOQV. PROF. PVBL. ORDIN.  
ALVMNOR. REG. ELECTORALIVM EPHORO

CARMINE SOLENNI COMMENDAT  
CAROLVS ANDREAS BEL  
POESEOS PROF. PVBL. ORDINAR. NAT. BAVAR. SENIOR  
ACADEMIAE BIBLIOTHECARIVS COLLEGIO MIN. PRINC.  
COLLEGIATVS

KALEND. MART. A. C. N. CIDIDCCLIX.

LIPSI AE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

3.)



AN DER UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
KUNST- UND WISSENSCHAFTEN  
VERGLEICHENDE ANATOMIE

PROFESSOR DR. MED. W. WAGNER  
LOTHAR REICHARDT  
VON DER UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
KUNST- UND WISSENSCHAFTEN  
VERGLEICHENDE ANATOMIE

PROFESSOR DR. MED. W. WAGNER  
LOTHAR REICHARDT  
VON DER UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
KUNST- UND WISSENSCHAFTEN  
VERGLEICHENDE ANATOMIE

PROFESSOR DR. MED. W. WAGNER  
LOTHAR REICHARDT  
VON DER UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
KUNST- UND WISSENSCHAFTEN  
VERGLEICHENDE ANATOMIE

PROFESSOR DR. MED. W. WAGNER  
LOTHAR REICHARDT  
VON DER UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
KUNST- UND WISSENSCHAFTEN  
VERGLEICHENDE ANATOMIE





**I**am satis in nostris violentia Martia terris  
Saeuit, et diro nondum resoluta furore,  
Exercet miseris mortalia pectora curis.  
Otia, quae saeuo deprensus in aequore nauta,  
Quae cupit in pugnae dubio discrimine miles,  
Dulcia quo visat cum coniuge pignora natos,  
Otia turbatis optantur mollia rebus.  
Nunc etiam fessas celant naualia puppes,  
Et prohibent tuto minitancia flamina portu.  
Et seges hiberna recreatur fessa quiete,  
Dente nec incurui tergum laceratur aratri:  
Sed fouet in plenas, anni spem, semina messes.  
Ipsa quoque a rapido cessant caua flumina cursu,  
Tutaque sub glacie colit hibernacula piscis.  
Arbor et in filuis hortoque ignaua sepulta,  
En! stupet, et florum veterisque oblita decoris

A 2

Cessat

IIII

Cessat, et in vernas expectat semina frondes.  
 At non infelix belli iactata furore,  
 E rabidis animum recipit Germania telis.  
 Indefessa ciens rigidus certamina Mauors,  
 Dulcia de miseris dudum expulit otia terris.  
 Alterno recreans orbem moderamine Phoebus,  
 Iam ternos iustis exegit cursibus annos,  
 Perque suos numeros terris distincta iuandis  
 Contorsit rapidum fugientia tempora in orbem.  
 Ter laeta intumuit genitili vere noualis;  
 Ter grauis incaluit maturis solibus aestas;  
 Et totidem autumnus fundens sua poma perauctus,  
 Horrificae fugit summotus frigore brumae:  
 Saeua tamen cessant vicibus certamina nullis,  
 Nec varius Marti rigido redit et venit orbis.  
 Perstat in immensum, damnis renouatus ab ipsis;  
 Temporis et spernens discrimina mollia longi,  
 Coniunxit solidum repetitis caedibus annum.  
 Vixque hiberna videns mensem male ruta per vnum,  
 Arma fatigatis manibus tamen vsque retentans,  
 Frigoribus mediis pugnae feruore calefcit.  
 Ipsa fauens longo natura assueta labori,  
 Dediticque suos numeros, solitamque negauit  
 Frigoris hiberni terris resoluta quietem:  
 Nec satis Arctois riguerunt prata pruinis,  
 Nec veteri durata situ, requiemque sub ipsam,  
 Quos vix deposuit repetens terra labores,  
 Pallentes herbas per non sua tempora trudens,  
 Et molles referans vernante putredine campos,  
 Discit ab indomito recreamina spernere Marte.

Vsque

Vsque adeo fessis absunt recreamina rebus!  
 Vsque adeo pacis, prope nesciet otia mundus!

Quid vos interea, dulces, mea gaudia, Musae?

Nam vos praecipue Martis violenta trementes

Arma, nec in trepidos, habilis, pia turba, tumultus,

Otia tranquillo petitis summoti recessu.

Antra placent vobis, sinuosaque valle virenti

Secta per obliquum trepidanti flumine Tempe.

Candida vos rigui cupiunt secreta Lycei,

Floribus et teneris spirantes molliter horti.

Nec vos excussae stridenti turbine moles,

Nec percussa iuuant funesto moenia pulsu.

Vulnerat et teneras morientum flebilis aures

Clamor, et exanimat insani pectora iustus.

Nec vestri sensus studiique ignara vetustas,

Velavit teneris muliebria corpora membris.

Nec male cum toruo sua corpora iungere Pallas

Vsque fugit placidis praefes data diua Camoenis.

Quaeque fugit lucem solis in rupibus almam,

Summota a coetu volucrum sibi sola sodalis,

Addita tutelae merito templisque Mineruae,

Noctua, secretis poscit loca sola Camoenis.

Sed tamen aeterna Pallas tegit aegide pectus,

Et galeae rapidas quatiens de vertice flammam

Terribilem trepidos hastam dea torquet in hostes.

Quid tibi cum saeuis, et docta, et femina, telis?

Pone, age, nec titulos intercipe diua viriles!

Bella feris manibus, sine, Mars gerat vsque cruentus,

Verrat et attonitum fugientia spicula in hostem!

## VI

Ille feros Thracas celebrans, pictosque Gelonos,  
 Intonet admisso per lora vindantia curru:  
 At tibi cum Phoebos placeat Parnassia rupes,  
 Aoniaeque nouem celebrata sororibus antra,  
 Et quem prolucuit gratum leuis vngula fontem.  
 Perneget illa tamen, studiisque operata duobus,  
 Miscet Apollineae belli fera munera Musae.  
 Conuenit in geminae Tritonia munera fortis,  
 Et sociat bellis doctas minitantibus artes.

Iam neque sanguineo squallentem puluere Martem,  
 Pondera nec raucis grauiter vibrata balistis,  
 Saeua nec attonitae metuatis praelia, Musae!  
 Quae colit armata belli fera munera dextra,  
 Gorgoneaque agitat trepidantes aegide turmas,  
 Coetibus haec eadem custos viget addita doctis,  
 Pellit et a tuto discrimina saeua recessu.  
 Otia, per medios, Musae, celebrate tumultus!  
 Nec tuba terribili vobis fera classica voce,  
 Pulsa nec armatis manibus caua tympana, signant.  
 Nec vos excussum ferali turbine plumbum,  
 Nec moueant armis acies animisque furentes.  
 Tristia germano pinguescunt sanguine culto  
 Manantemque bibunt riuis infecta cruorem  
 Flumina: grandifono ferrata per agmina curru  
 Seminecesque artus, lacerataque corpora, Mauors  
 Peruolitat madidi vestigia lubrica campi.  
 Non tamen Aonides viridis iuga sacra Lycei  
 Senferunt rabido penitus concussa tumultu.  
 Vtque solet latos exurgens villa per agros,

Moeni-

Moenibus et firmo portarum robore nixa,  
 Cum tonat immisso Boreas Eurusque furore,  
 Moliturque fremens, frustra que reuellere tentat  
 Inuictum domino cingentia claustra recessum,  
 Spernere delusos ventorum tuta tumultus,  
 Tutaque ruricolis agitantur gaudia clausis:  
 Sic tutae celsò Parnassi vertice Musae,  
 Secretasque domos, munitaque templa tenentes,  
 Euri more furunt humiles vbi bella per agros,  
 Insultus vanos, exclusaque flamina rident,  
 Despiciuntque graui prostratas turbine siluas.  
 Sic vbi vesanae tollunt freta versa procellae,  
 Nubibus et fluctus celsis, scopulosque superbos  
 Mergere conuulsos alta radice minantur,  
 Ipsa Thetis metuens teneris tibi mollia pullis,  
 Hospitia, Halcyone, tutosque per aequora nidos,  
 Nec quidquam Oceani metuentes bella, parauit.

Tristia bella sacris dant otia longa Camoenis.

Dum reges rapiunt magnas in praelia turmas,  
 Gloria cumque illos stimulant et splendida regna;  
 Dum concussa tremunt labefactis oppida muris:  
 Illae inter sese, procul a tam fortibus ausis,  
 Carmina diua canunt regum celebrantia nomen,  
 Diffundunt longum paces et bella per aeuum.  
 Sic quondam Augusto extremi sub finibus orbis  
 Eoasque arcés et Parthi terga timendi  
 Auertente sacra Romuli feliciter vrbe,  
 Sancta poetarum turba et pia pectora vatium,  
 En! victos hostes et grandia facta canebant.  
 Ipse inter turbasque graues, hostesque minaces,

Cum

### VIII

Cum fera sub timidis streperent iam proelia portis,  
Clausus hyperborei, Roma procul, aequora Ponti,  
En! graciles elegos, miseri solamina luctus,  
Imparibus numeris currentia carmina condit:  
Dum tonat infensio Romae pia gloria bello  
Caesar ad Euphratem, regnumque extendit in orbem,  
Ecce canit dulci Tityrum et Damona cicuta,  
Praecipit agrorum cultus et sidera coeli,  
Arbuteos fetus, pecoris quae cura tuendi,  
Virgilius, studiis florens bene nobilis oti,  
Aëriique refert mellis coelestia dona.  
Ipse olim Troiae pugnax in funera Achilles,  
Pelia quos cuspis gladiusque exercuit ardens,  
Admouet, en! plectro digitos, fidibusque canoris.  
Quid quod et ipse, manu quae gessit proelia forti  
Consilioque graui, quae gallica contudit arma,  
Ciuilesque acies germanaeque aspera ripae,  
Gaudebat castris conscribere Caesar in ipsis.

Sic ergo armpotens gratas Tritonia Musas  
Otia ab infestis hortatur fumere bellis.  
Cum furor immiti mortales cernere ferro,  
Et spectare adigit fugientis vulnera tergi:  
Vos quoque, docta cohors, miserae mala gaudia mentis,  
Erroresque graues, vitiorumque agmina saeua  
Vincere, et e latebris pugnate extrudere caecis.  
Hoc iuuat! haec omnem superat victoria laudem,  
Area et in doctas aperitur maxima pugnas.

Nunc versare manu saeculi monumenta vetusti,  
Et conferre nouis miracula prisca tropaeis;

Nunc



Nunc petere ex libris virtutis praemia sacrae,  
 Tempus, et in miseris solamina lenia curas;  
 Discere, versatum varia vt fortuna per orbem  
 Tristia discutiat ridenti nubila vultu.  
 Illa tibi largo manabant plurima fonte,  
 Summa tuae patriae et Musarum gloria, Tulli,  
 Attonitamque malis releuabant fortia mentem,  
 Cum repetens sanctas, semper tua gaudia, Musas,  
 Versares diui cupidus praecepta Platonis;  
 Dum longis lacerum rapiunt legionibus orbem  
 Iurati in mutuas foci generique ruinas:  
 Ipse grauem interea Stoicorum dicere causam,  
 Zenonemque, viris longe diuersa secutis,  
 Tentabas gratis sapiens componere curis.  
 Atque humidae fugiens alius contagia terrae,  
 Ecce! notat celeri labentia sidera motu;  
 Et promissa piis lustrat loca; sicque labori  
 Immenso certum inueniens coelestia finem  
 Gaudia diuino iam nunc sub pectore versat.

Ergo agite, et dulces Musae per grata recessus  
 Otia follicitis celeres praetendite turbis;  
 Quamque negat miseris violentia bellica rebus,  
 In sacris tutam studiis captate quietem:  
 Ipsa fauet vestrae Tritonia diua quieti,  
 Et tegit horrenda sanctos, en! aegide montes.  
 Quin etiam, media belli bacchante procella,  
 Adspicite, vt, latos ramos et brachia tendens,  
 Floret Apollinae laurus sacrata coronae.  
 Ipse pio Phoebus studio sua castra secutis  
 Muneris effecti pignus, meritique triumphi

B

Prae-

Prætexit nitidis doctorum tempora fertis.  
 Sic datur: e media Pallas sua munera pugna  
 Respicit, et doctas non vnquam oblita Camoenas,  
 Solatur teneris trepidantia pectora curis.

Sed quae nunc timidas prætexunt praemia frontes,  
 Et rapido belli crispantur flamine lauri,  
 Has vtinam pacis spirans mox leniter aura  
 Mulceat, vt Zephyrus campis lasciuus apertis  
 Ventilat afflatu veris noua pignora amico.  
 Quaeque oppressa gemunt patriis nunc anxia curis  
 Principis AVGVSTI dulcissima pectora, laeta  
 Otia mox releuent placido redeuntia risu!  
 Haec nos: haec veris, pia corda, reposecite votis!  
 Vt, quae nunc miseris sunt turbida gaudia curis,  
 Sincero illustrent vacuas splendore Camoenas.



CAROLVS FRIDERICVS HOFMANNVS

LIPSIENSIS

**N**atus anno seculi xxxviii. patre Carolo Gottlob Hofmanno, Th. D. tunc temporis ad aedem d. Petri concionatore matutino, nunc celebri apud Wittebergenfes Theologiae Professore primario, et terrae electoralis Superintendente generali: matre Rahele Elisabetha, e gente Bartschia. Eam nascendi felicitatem gratulatur sibi nosfer, et merito: nam primus ad virtutem, et recte viuendi disciplinam, gradus est. A prima pueritia, idoneis magistris vsus, litterarum rudimenta didicit domi, dum, patre Wittebergam euocato, illic fidei traderetur Hilleri, ludi litterarii rectoris, nunc Professoris Poeseos, cuius in se formando agnoscit merita, et praedicat, ingenue fastus, non se habendis gratis, referendis multo minus, vnquam suffecturum. Scripsit eo tempore, vt aliquod faceret profectuum periculum, Quirinum gloriosum. Ciuitati academicae Wittebergensi nomen dedit anno LIV. secutus in omni philosophia, atque elegantioribus litteris, Hillerum: in mathematicis Weidlerum, eoque mortuo Bosium: in historicis Räterum: Schwartzium A. M. in orientis litteratura. In disciplinis doctrinae sanctioris patrem praecuntem habuit, et doctrina, et exemplo, a quo et artem didicit pro concione dicendi. Subinde Weiksmanni scholas adiit, praesideque Schuartzio, Westphalicae pacis memoriam, dissertatione publica celebravit. Anno proxime praeterito ad nos venit, Ernestio commendatus potissimum, cuius auctoritate et praeceptis expoliretur amplius. Qua opportunitate nosfer adhuc ita vsus est, vt etiam Stemleri et Barthii praelectionibus interesset, atque Zemischium A. M. (qui nuper, damno bonarum litterarum, subita morte interijt,) Syriacae linguae praecepta tradentem, diligenter audiret. Exeunte anno philosophicos honores ab Ordine nostro modeste petijt, eosque, probatae doctrinae iuuenis, publicato diplomate, merito adeptus est.

IOHANNES FRIDERICVS TELLERVS

LIPSIENSIS

**P**atrem habuit Romanum Tellerum, doctorem Theologum, et Professore nuper e nostris celeberrimum, cuius omnibus, qui litteras amant, hoc est bonis, luctuosa mors, memoria autem cara semper et iucunda futura est. matrem Sophiam Guilielmaam, Schütziij, doctoris Theologi, et ad aedem Thomanam pastoris, filiam,

## XII

liam, sanctissimam et optimam feminam. His igitur parentibus prognatus noster, anno huius seculi xxxv. habuit praeclara exempla domi, quibus a prima aetate vteretur: fratrum etiam, Romani, et Guillelmi Abrami, quos iam omni doctrina et virtute ornatissimos diligit Academia. Nostrum hunc, pater, domi primum, atque intra priuatos parietes studentem continuit, additis praeceptoribus, Wagnero, Wolfio, Thielio, quorum laudat fidem, Thielii potissimum, Osterae propter Halam nuper mortui. Dum ita primis litterarum rudimentis pulchre instituitur noster, e vita discedit pater: orbus parente adolescens, in cluti Senatus Lipsiensis beneficio, inter alumnos Scholae prouincialis Portensis recipitur. In hoc ludo exacto fere quinquennio, ad humanitatem atque bonarum artium amorem probe informatus, rediit Lipsiam, anno LV. ciuibus academicis adscriptus rectore Hebenstreitio, theologo, cognato suo, cuius in se beneuolentiam gratus praedicat, spondetque, eius memoriam nullo unquam tempore esse ex animo dimissurum. Iam igitur philosophiae discendae causa, (quod sciret, hanc animi culturam, vt recte adpellat Cicero, omnium artium matrem esse,) praelectionibus Crusii interfuit. In historia sacrorum, Stemlerum; philosophiae, Ioecherum; Saxoniae nostrae, me ipsum, spectatae assiduitatis auditor, secutus est. Graeca et latina apud Ernestium, itemque Hentschium, didicit. Ad sacrorum doctrinae studia conuersus deinceps, Crusii scholas adiit, iisque adhuc interest: vsus tamen et Bahrtdio in his studiis, nec sine fructu. Omni autem hoc vitae academicae tempore, plurimum se auctoritate, amore, atque beneuolentia Crusii, et, cuius tutelae commendatus fuerat mortuo parente, Klaubarti, ad aedem nouam diaconi, adiutum fuisse, grate aestimat. Secundum haec, anno proxime praeterito, rite tentatus, Artium magister, tabula publice proposita, creatus est.

GEORGIVS CHRISTIANVS TELLERVS  
LIPSIENSIS

Iohannis Friderici, quem antea laudauimus, frater germanus, natus est anno seculi xxxvi. litteris primum institutus a domesticis praeceptoribus, e quibus nominat Wolfium, Thielium, Gloeknerum, egregie de se meritos. Mox in ludum Portensem transit, anno L. parente mortuo, ubi quadriennio amplius interfuit scholis doctissimorum virorum, inter quos Freytagium praedicat, atque Hofman-

Hofmannum; quorum beneuolentiam, atque in se ad litterarum amorem quasi manu ducendo dexteritatem et fidem, faterur talem fuisse, quae esse unquam fructuosa potuerit. Ita pulchre praeparatus Lipsiam rediit anno LV. ciuium nostrorum tabulis illatus triennio ante, rectore Hebenstreitio. Hic, philosophiae omnis addiscendae causa, Mullerum secutus est: mihi ipsi, praecepta logices, dein etiam res Saxoniae nostrae tradenti, nauitate laudabili adsedit, morum elegantia, discendi cupiditate, praestantia ingenii, nulli meorum secundus. Quibus rebus effecit, ut animo meo semper esset carissimus, mihiq; in oculis. Litteras humaniores publice et priuatim docentes, Christium, Ernestum, (ad quem, ut olim ad Isocratam, clarissimum illum praeceptorem, merito concurritur,) Hentschium denique, diligenter audiuit; estque hoc studio id consecutus, ut intelligeret, doctum hominem dici, nisi qui litteris his probe excultus sit, neminem posse. In hebraicis Hebenstreitium secutus est, et Thalemanum: addiscendae artis oratoriae causa, Gottschedium: Winklerum, ut physicen experimentis declaratam cognosceret. Tandem ad sacrorum doctrinam animum applicuit, solers Hebenstreitii, Crusii, Bahrdtii, Wollii discipulus. Eam theologiae partem, quam polemicam dicunt, apud Bahrdtium: moralem, apud Crusium: artem uero libros diuinos recte interpretandi, apud Wollium, (quem virum, ob multa in se collata beneficia, ob doctrinae copiam, ob consummatissimam diuinarum humanarumque rerum scientiam, diligentissime colit,) non interrupto studio didicit. Disputandi artem, ait, se Bahrdtio, Hentschio, Rudolfo debere. Ut publicum aliquod doctrinae specimen ederet, duas in aede Paulina orationes publice habuit, alteram de noticia librorum sacrorum apud gentiles; de corpore, quo Christus resurrexit, glorioso, alteram. Vtraque applausum meruit. Anno LVII. fratris, Guilielmi Abrami, (cuius ut uestigia presso pede sequatur uehementer cupimus,) de iudicio super variis lectionibus codicis hebraei diuini recte faciendo, librum doctum atque elegantem, ex cathedra philosophica pulchre defendit. Anno proxime praeterito, quos ab Ordine nostro honores petiit, publicato e ualuis publicis diplomate, merito tulit.

IOANNES IACOBVS HASELAU

GEDANENSIS

**G**edanum, ad Vistulam, urbs pulcherrima et florentissima, portu, emporio, gymnasio, munitionibus incluta, et quae ueterem hanseatici foederis gloriam adhuc egregie sustinet, huic nostro

stro patria est. Ibi natus anno seculi xxxvi. patre quidem Ioanne, qui quaestuosam mercaturam fecit, matre vero Adelgunda Concordia, Schwenkii, clari itidem mercatoris, filia. Primis litterulis institutus est domi, dum puer octennis traderetur in disciplinam Ludolfo Bernardo Kemnae A. M. affini suo, ludi litterarii, eo tempore, ad aedem Mariae rectori. Hic annos octo integros exegit, et a praeceptoribus, Lerchio, Völkerō, Steinbrunnero, Wokenio, Marzenio, iis disciplinis omnibus imbutus est, quae illi aetati conueniunt. Inprimis vero Kemnae disciplinam laudat, et fidem; neque diffitetur, huic se inprimis viro bonarum litterarum amorem debere. Mox eius quoque beneficio, in illustris gymnasii ciuibus scriptus est anno l.ii. vbi meruit annis quatuor et dimidio. Laudat scholas hebraicas et graecas Groddekii: Bertlingii theologicas, apud quem et sacrorum historiam didicit: historiae catholicae, Krauffii: physicas Sendelii: philosophicas Hanovii: rhetoricas denique et poeticas Wernsdorffii. His praeceptoribus suis magnam gratiam habet omnibus, eoque maiorem, quo magis intelligit, summis se beneficiis cumulatam esse omni illo tempore. Ingenii publicandi causa, praeside Bertlingio, huius dissertationes duas, de effusione amoris divini, ad Rom. V. 5. et de mysterio Messiae Mofi revelato, ad Exod. XXXIII. 34. publice defendit. Huic discendi ardori, ait, subuenisse incomparabilem beneficentiam auunculi Schwenkii, cuius in se voluntati propensissimae omnia tribuit, spondetque, tantorum beneficiorum memoriam se omni tempore gratissimam seruaturum esse. Liberalitates autem venerabilis matronae, viduae Martensii Consulis, ita noster solennibus formulis praedicat, vt vel ex eo, dignum fuisse omnino istis beneficiis omnibus, facile intelligatur. Ad nos venit anno lvi. inter ciues academicos relictus rectore Gottschedio, cuius praelectionibus metaphysicis atque rhetoricis interfuit. Bosselkio et Lechlae, hebraica docentibus, adsedit. (Eiusdem Lechlae, A. M. dissertationem, de pretio sanguinis physico et religioso, ex cathedra philosophica defendit.) Mathematicarum causa Hentschio magistro vsus est. In corporum scientia Wincklerum: in morum doctrina Gellertum, doctores habuit; me ipsum denique, de re litteraria quotidie differentem, adhuc diligenter et cupide secutus est; mihi vel propterea inprimis carus, quod praeter ardorem studii, praeclarum in eo morum atque omnis humanitatis sensum deprehendi, qui non possit non esse, enitenti, omni tempore utilissimus. Cum se inprimis sacrorum do-

Strinae

Arinae dicasset, Wollio potissimum auditor perpetuus adfuit, et ab hoc viro, cuius beneuolentiam laudibus cumulat, ea omnia didicit, quae ab homine theologo requiras. Libros ritus nostri symbolicos explicantem Kieslingium, sedulo audiuit; quin et Breuningium, ius publicum ecclesiasticum vniuersale, vt vocant, praelegentem. Anno praeterito, rite exploratus, Magister Artium, proposito publice diplomate, creatus est.

CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS

ANNAEMONTANVS

**N**atus anno seculi, quod viuimus, xxxviii. patre Christiano, Lycci Annaemontani eo tempore rectore, viro doctissimo et humanissimo; matre Eleonora Sophia, Syndici eius vrbs optime meriti, Scheurekii, filia. Primis litterarum elementis puerum imbuuit, magna dexteritate et fide, Kemnavius. Mox patre deinceps Zuicauium anno xl. euocato, traditus ibi est instituendus Sperlingio, Steinbachio, Conrado, Bruknero, Thiersfeldio, de quibus sacrorum, latinae item et graecae linguae rudimenta, et calligraphiam se didicisse, gratus profitetur. Dum ita pulcre succresceret, et domestica patris institutione simul uteretur, haberetque etiam in linguarum studio egregios magistros, (inter quos Wellerum, diaconum, inprimis laudat,) fecit facultatis in litteris periculum, atque graecae et latinae veterum tragoedias aliquot in vernaculam transtulit. Lipsiam adiit anno aetatis praesentis lvi. multo ante in catalogis ciuium nostrorum scriptus, rectore Gottschedio. Hic studiorum suorum rationem hanc reddit. Philosophiae, etiam physices discendae causa, Winklero: in hebraeis Hebenstreitio: in omni theologia, cui se potissimum addixerat, Crusio et Wollio, adfedisit. Quam haberet graecarum latinarumque litterarum, historiae vniuersalis, artis oratoriae, disputandi item de controuersis, scientiam, eam se Ernestii scholis debere, gratus agnoscit. Eloquentiae praecepta et vsum tradenti Gottschedio: moralem doctrinam, et poetice, Gellerto: historiam sacrorum, Woogio: mathemata Bortzio, auditor adfuit. Qua animi contentione istud consecutus est, vt dignus haberetur, quem prima philosophiae laurea, iam anno lvii. exeunte, Ordo noster ornaret; qua in panegyri, carmen heroicum, doctum atque elegans, in mortem Serenissimae Poloniarum Reginae, recitauit. Nuper admodum, decreto Ordinis, magistri artium honore, publicatis super ea re tabulis, auctus est.

CHRISTIANVS

**N**atus in hac vrbe anno seculi huius xxxviii. patre Christiano, Th. D. et Prof. publico, atque ad aedem Nicolai indigeris Archidiacono, sed ante diem intercepto, cuius virtutum et doctrinae sancta est vrbi et academiae memoria: matre Dorothea Elisabetha, clari quondam mercatoris, Nicolai Zehii, filia, sexus sui virtutibus omnibus ornatissima femina, quae orbi parente filii, tot annis, tantam curam habuit, vt benigniorem sibi matrem contingere non potuisse noster vltro et gratus profiteatur. Domi primum, adhibitis idoneis magistris, (in quibus nominatim laudat Berthium, Gehium, Leuschnerum,) litterarum rudimenta didicit, dum tredecim annorum adolescens, Hirschbergam, nobilem Silesiae urbem, deductus, traderetur in disciplinam Leuschnero A. M. qui ludo illi praest. Eius viri benevolentiam, multaque et praecleara in se merita, magnopere praedicat. Exacto ibi quadriennio, accessit ad academiam hanc anno LV. relatus inter ciues nostros biennio ante, rectore Plazio. Ex eo tempore sectatus est in philosophia quidem Müllerum, atque Winklerum, cuius etiam physicis praelectionibus interfuit: mathematicum causâ, Heinsium et Rudolfum: historiae civilis et litterariae, Ioecherum, Ernestium, me quoque et Boehmium, doctores habuit: rhetoricen, graeca et latina, antiquitates item, et disputandi artem, apud Christum, Ernestium, Bauerum, Hentschium didicit. Subinde sacrorum doctrinae partes omnes, praeuentibus Crusio, Stemlero, Wollio, emensus est: litteraturae autem hebraicae scientiam ait se Bosselkio debere. Istorum praeceptorum omnium in docendo fidem, in consulendo atque monendo humanitatem et integritatem, in se amando denique constantiam, agnoscit animo gratissimo, et laudat, seque illis obstrictum deditumque profitetur, ita, vt, quidquid vniquam vel ingenio praestiturus, vel studio sit, id omne non suae cuidam facultati, sed illorum doctrinaetribuendum putet. In publicum etiam aliquoties, edendi cuiusdam doctrinae speciminis causâ, hic noster prodiit. Factum id est, cum superiore anno Zemischi librum, de analogia linguarum, interpretationis subsidio, e cathedra philosophica defenderet; atque etiam illo ipso anno, e suggestu, in sacris Pentecost. de Spiritu S. pacis evangelicae praecone, orationem disertam haberet. Primos philosophiae honores, ita meritus, iam anno LVII. obtinuit.

IOAN.



## IOANNES GOTTLOB RICHTERVS

NIDERWERBIGENSIS SAXO

**N**atus anno seculi praesentis xxxvi. patre Ioanne Theophilo, qui tum apud Niederwibigenfes sacra curabat, nunc Nieme- genfium coetus primario pastore: matre Erdmuth Charlotta, e gen- te Kürtzelia, Torgauiae. Domi aliquo tempore imbutus est lit- terarum initiis, et sacrorum; magistris vsus, Kuntzio, et, quem praecipue gratus memorat, Iudi Nieme-genfis rectore, Schleichero. Subinde, tredecim annorum adolescens, in scholam portensem transductus est, vbi toto quinquennio, et amplius, ad omnem hu- manitatem atque bonarum artium amorem ita informatum se ait, vt, si quid deinceps studio sit consecutus, id omne portensi illi disci- plinae tribuendum putet. Inprimis autem se adiutum eo tempore propensa voluntate Hofmanni, nunc sacrorum apud Leifnicenses antistitis, fuisse; cuius gratissimam memoriam se retenturum libe- raliter pollicetur. Ad nos accessit anno lv. census in ciuibus no- stris rectore Ludwigo. Hic philosophicis praelectionibus Crussi, theologis, iterum huius, itemque Bahrtdii, studiosissime inter- fuit. Humaniorum litterarum causa, Christo, ait, Ernestio, Gött- schedio, Bossleio, Tellerio, se operam dedisse. Vt autem hunc studiorum cursum sine querela conficeret, totum hoc consultissimi Kürtzelli, Iurium Doctoris, et Academiae Syndici, viri ad omnem humanitatem atque elegantiam natura et arte facti, muneris esse. Huius auunculi tanta in se, ait, plane paterni amoris atque bene- uolentiae exstare monumenta, vt tacita ueneratione testari gra- tissimi animi sensum, quam verbis, malit. Nouissime, vt do- ctinae quoddam specimen ederet hic noster, librum Bahrtdii, de dispensatione diuina, peritissime disputando, publice defendit.

## IOANNES CHRISTIANVS FORWERCK

LIPSIENSIS

**N**atus hic Lipsiae A. C. N. ccccccxxiv. patre utitur Augusto Christiano, claustrario, matre Elisabetha Boettigeria. Horum parentum beneficio, inde a prima pueritia litterarum rudimentis ac sacris imbutus est magistro Goedelio, cui operam dedit annis decem integris. Mox ludo litterario ad aedem d. Thomae se dedit, vsus doctrina eorum, qui ibi merebant, omnium, quorum extollit laudabi- lem industriam, atque beneuolentiam in se. Anno xlv. inter ciues aca- demiae nomen professus est, rectore Winklero. Inde in omni philo-  
C sopia

## XVIII

sophia Müllerum: Maium, rectorem academiae hoc tempore, in artis oratoriae praeceptis: in hebraica litteratura, Hebenstreitium, itemque Meinerum: in graecis autem latinisque literis, omniue humanitate, unum Ernestium secutus est, ita, vt, siue ille artem, qua vsus Cicero in veris causis deprehenditur, demonstraret; seu T. Liuii ingenium in fictis orationibus ostenderet; seu in lectionibus Virgilianis epithetorum inueniendorum rationem explicaret; seu denique obscuris Taciti aliorumque auctorum veterum locis lucem affunderet, magna cum voluptate eum audiret, eique hoc, et multis aliis nominibus, multum deberet. Scholis deinceps theologicis Wollii, auditor sedulus, interfuit; ab hoc etiam libros divinos interpretandi artem didicit. Omni autem studiorum cursu, proficitur se adiutum multis et magnis patronorum beneficiis, liberalitate inprimis Amplissimi Senatus huius urbis; quod gratissima mente recolit. Ante biennium Wermsdorfium excitus, qui ibi sacris curandis praeesset, Thomaci, liberis magister datus est: superiore autem anno, Senatus decreto, hic Lipsiae, ludo litterario ad aedem d. Nicolai collega receptus.

IOHANNES GEORGIUS FRIDERICVS FRANZ,  
L I P S I E N S I S.

**N**atus Lipsiae anno istius seculi xxxvii. patre Ioanne Christophoro, aedibus Paulinis scopario, matre Anna Elisabetha Grafia. Hi parentes, etsi essent in re tenui, tamen in eo fuerunt pro facultatibus, vt mature filius, ab idoneis magistris, imbueretur liberalibus disciplinis, domi primum, dein et in ludo Thomaniano per quinquennium; vbi beneuolentia et fauore cumulatum se, atque exultum litteris, gratissimum animum testatus, praedicat. In tabulis academiae ciuium scriptus est anno lvi. Rectore Sigelio, nactus doctores, philosophiae quidem Mullerum: historiae catholicae Ioecherum; sacrorum Koernerum: vtriusque litteraturae Ernestium: rhetoricae et poeticae Gellertum: Kaestnerum algebrae. Sacrorum doctrinis ediscendis, diligenter interfuit scholis Hebenstreitii, Crusii, Bahrdtii, Wollii denique. Hebenstreitio, vt orientis litteraturam: vt disputandi artem disceret, Bahrdtio, adsedio. In hoc studiorum tramite assiduus fuit, neque vnamquam segnis aut iacens repertus est, nixus potissimum voluntate et beneficiis Crusii, Ernesti, Mülleri. Horum igitur facilitatem, atque in se erudiendo iuuandoque promittudinem, se immortalis memoria retenturum spondet.

GODO-

XVIII

GODOFREDVS ADAMVS LEHMANNVS

L I P S I E N S I S

**N**atus in hac vrbe anno seculi xxxvi. patrem habuit Godofredum, specularium, quem cito amisit; matrem Rosinam Elisabetham Mischiam, cuius beneficio cum cura educatus, atque domi litteris artibusque ingenuis recte informatus, id consecutus est, quod quidem magnopere sibi gratulatur, vt tradi Ernestio in disciplinam posset, cui acceptum refert, quidquid in elegantioribus litteris, omnique humanitate, videat. Rectore Kappio, inter ciues academiae scriptus est anno LIII. Inde doctores habuit, philosophiae omnis Winklerum; graecis et latinis auctoribus legendis, Christium atque Ernestium, cui etiam epistolas Paulinas explicanti adsedit. Inprimis vero Hentschium studiosè sectatus est, eiusque de se merita laudat. Historiae cognoscendae causa Ioecheri, et Koerneri: in mathematicis Hemsli et Rudolphi, discipulus fuit. Mihi, dialecticè praelegenti, et Saxoniae historiam, ita operam dedit, vt, commendatus propria indole, propter ingenii praestantiam, cupiditatem discendi, morum denique integritatem, magnopere placeret. Woogio, vt aliquam sibi anglicae linguae facultatem compararet, praeceptore vsus est. Tandem ad sacra discenda cum conuersus esset, orientis literaturam docentes, Hebenstreitium et Bossékium, solerter audiuit: in Theologiae partibus reliquis auditor Crusii, Stemleri, Wollii, Bahrdtii, Kieslingii, cum librorum symbolicorum ecclesiae nostrae, antiquitatum item hebraearum rationem, exponeret. Horum praeceptorum omnium gratus praedicat multa in se merita, et doctrinam, spondetque, memorem se omni tempore futurum.

DANIEL GOTTHOLD IOSEPHVS HVBLERVS

F R E I B E R G A M I S N I C V S

**N**atus Freibergae, in Hermunduris, anno seculi huius xxxiv. patrem habuit Martinum A. M. in eadem vrbe sacris curandis archidiaconum, matrem Erdmuth Sophiam, e gente Iunghansia. Patre ante diem extincto, sollicitam pueri curam, et paternam habuit Mullerus A. M. Freibergae, ad aedem d. Petri, protomysta, cuius beneficii, quo decem annis integris vsus sit, memoriam, noster gratus recolit. A priuatis doctoribus, ad publicos ludo Freibergensi litterario deductus est, quorum doctrinis profecit annis decem, Bidermanni inprimis, et Lutheri, cuius singularem fidem ac voluntatem in se vehementer laudat. Inde Lipsiam se contulit anno aetatis nostrae LIV. in ciuibus vniuersitatis scriptus rectore Kappio. Hic eum omnis philosophiae ambitum docuerunt

C 2

Wink-

AKYC 7337

X 3686406

XXI

Winklerus, et inprimis Gloeknerus: mathemata Rudolphus: artes humanitatis Christius, Ernestius, Gellertus, Reiskius, Inmiscus: historiam catholicam iterum Ernestius; sacrorum Koernerus; philosophiae Ioecherus: litteras hebraicas Hebenstreitius. Libris diuinis recte intelligendis, Ernestio et Gloeknero vsus est: theologiam acroamaticam apud Koernerum didicit. Gloeknero etiam moderatore, velitandis super omni philosophia et philologia controuersis, profecti. Laudat patronorum beneuolentiam, Ernestii potissimum, Gellerti, Koeneri, Gloekneri, qua omni hoc tempore adiutus sit; publicae uero inprimis munificentiae praeclara documenta gratissimo animo prosequitur. Nuper, ait, ad hanc felicitatem suam cumulum accessisse beneficio Bornii, uiri illustris, doctrina, uirtutibus, muneribus, incluti, a quo sit in domum receptus, liberorum instituendorum causa, multisque prolixi animi documentis, quae gratus commemorat, honestatus.

IOHANNES CHRISTIANVS FOERSTERVS  
DRESDENSIS

**N**atus anno seculi huius xxxi v. patre cognomine, chirurgo; matre, Anna Rosina Vollmeria, cuius in se educando sollicitudinem multis laudibus effert: nam patrem anniculus amiserat. Domi igitur primum, idoneis magistris, litterarum et factorum discendorum causa, traditus est; mox in ludum, qui ad aedem Crucis Dresdae est, adductus, meruit annis nouem, Gebaero. Koelerö, Kretschmaro, Schoetgenio, praeceptoribus, quorum fidem atque beneuolentiam grata mente agnoscit. Ad hanc nostram studiorum uniuersitatem accessit anno lxi numero ciuium adscriptus rectore Christio. Ab eo tempore, philosophiae discendae doctorem Crusum: matheos, quam dicunt, Rudolphum: historiae Ioecherum, et me quoque: utriusque litteraturae, et rhetorices, Ernestium, atque Gellertum: linguarum orientis, Lechlam: sacrorum denique doctrinis diuersis, iterum Crusum, et Stemlerum, sectatus est. Controuersis per colloquia disciprandis, praeventum Gottschedium habuit. Gratum animum praecceptoribus testatur omnibus: Crusio tamen inprimis, multis et magnis nominibus se obstrictum profitetur. Quemadmodum et hoc in magna felicitatis suae parte ponit, uenisse in domum Scharffenbergiam, academiae auctuarii egregie merentis, in qua studia liberorum regeret, habeaturque tam liberaliter, ut, quibus id uerbis efferat, non reperiat.



VD 18

761



WR. 534, 35.

B. 7

YC  
7337

OTIA IN LITTERIS BELLI SOLAMINA  
XII. PHILOSOPHIAE ET ARTIVM CANDIDATIS  
QVI MAGISTRI RENVNTIANTVR

RECTORE MAGNIFICO  
IOANNE FRIDERICO MAIO  
MOR. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD.  
COLL. MAL. PRINC. COLLEGIATO

ELLARIO

EODEM

A N O

STO ERNESTIO

QV. PROF. PVBL. ORDIN.

TORALIVM EPHORO

NI COMMENDAT

NDREAS BEL

NAR. NAT. BAVAR. SENIOR

IVS COLLEGIO MIN. PRINC.

IATVS

C. N. CIOIDCCCLIX.

3.)

IAE

LANGENHEMIA

OTHECA  
AVIANA

UNIVERSITÄT-BIBLIOTHEK  
HALLE (SALE)

